

quaeque muris ambirentur. ea ex utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere. erant tamen qui crederent veterem illam formam salubritati magis condixisse, quoniam angustiae iuicrum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem et nulla umbra defensam graviore aestu ardescere. (44) et haec quidem humanis consiliis providebantur. mox petita dis piacula, aditque Sibyllae libri, ex quibus supplicatum Volcano et Cereri Proserpinaeque, ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est; et sellisternia ac pervigilia celebrare feminae quibus mariti erant. sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis

6. *petita a dis* M. Correx. I. Fr. Gronovius. — 7. *proserpineque* M. — 9. Habet *perspersum* M, non *prospersum*, ut Edd. ante Bekkerum. — 10. Habet *sellisternia* cum lin. M.

*ambirentur*] Communio parietum iam olim vetita; legeque XII. Tabularum sancitum, ut spatium inter domus insulasve in latitudinem duos pedes et semissem pateret ad libertorem circumcundi facultatem. *AMBITVS PARIETVM SESTERTIVS PES ESTO*. Brot. Cfr. Dirksen XII. *Tafeln* p. 465. — *accepta*] grata vulgo, ut 6, 43: omnibus antiquis oppidis Italicis, etiam Pompeiis; et quidem propter causas hic allatas; quo solis radii arcerentur, plus umbrarum praeberetur.

44. *petita dis piacula*] his per exegsin adduntur vv. *aditque Sibyllae libri*, ad indicandum, quanam ratione petita sint illa. Walther quidem se Duebner praetulerunt Med. lectionem *petita a dis*, sed minus hoc concinnum, quoniam bis idem per Sibyllae libros aditque hi sunt. Immo pars *provisionis*, quam memorat, haec quoque erat, ut piacula ad deos placandum acquirerentur. — *hausta aqua*] Deorum et templa et simulacra vel marina vel fluviali aqua perspergi aut lavari solebant; ut Vestae aquis ex fonte Camenarum haustis. (Ovid. Fast. 3, 12.) Notissima autem lavatio Veneris Verticordiae et Matris Deum vel ex Ovid. Fast. 4, 136. et 337. RUPERTI. — *sellisternia*] Quae deabus fiebant, *lectisternia* diis; ut viri in lectis discumbentes, feminae sellis insidentes coenabant, sic deorum deorumque staturae in lectis sellisve ad aras lautis-

simis cibis oppletas admovebantur. DUBERN. Locus de hac re praecipuus est apud Val. Max. 2, 1, 2: *Feminae cum viris cubantibus sedentes coenabant, quae consueto ex hominum convictu ad divina penetravit; nam Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerva in sellas ad coenam invitantur. Quod genus severitatis aetas nostra diligenter in Capitolio quam in domibus suis servat*. Vocabulum ipsum vix praeterea reperitur nisi apud Festum p. 298. Mull.: *solar sternere dicuntur, qui sellisternia habent*, id est, qui sunt στρώται deorum; et in Glossis Cyrilli: *sellisternium, σελίστρωταις*. Cfr. Chimentellius de honore biselli in Graevii Thes. Ant. VII. p. 2148. — *sed non ope humana*] Haec et quae sequuntur transcripsit rursus Sulpicius 2, 29: *Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo iussum incendium putaretur. Igitur veritas invidiam in Christianos actaque in innoxios crudelissimae quaestiones; quin et novae mortes excogitatae, ut ferarum tergis coniecti laniatu canum interirent. Multis crucibus affixi aut flamma usi; plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* — *per flagitia*] quae ob suspectissimas illas *ἀγχιπράς* (cariatis convivii) Christianis ab adversariis affingebantur. Atrocissima quaeque crimina propterea in eos collata ita complectitur Tertullianus Apolog. 7: *Dicitur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde, et post convivium incesto; quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebras, tum et libidi-*

decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocía aut pudenda confluunt celebranturque. igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis coniecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies,

2. *ques. M.* — *paenis M.* — 3. *christus tyberio M.* — 5. *exitibili M.* — *rursus M.*; *rursus B.* — 6. *iudaeam M.* — 7. *primum M.* — 9. *pinde cum p. caudato (proinde) M.* — *contuncti M.* Emendatum iam in Mss. et Edd. vet.

*num impiarum inverecundiam procurant.* — Christianos] «Sive Christianos, ut scripserit per inscitiam illi. Quod nomen ortum demum observo imperio Claudii extremo. Suidas in *Χριστιανοί*. (Ed. Gaisford II. p. 3930. A.): *Ἐπὶ Κλαυδίου βασιλέως ῥοτονῆσαντος Εὐδίου ἐν Ἀπτιοχείᾳ* (quod Hieronymus in Chronico Ed. Roncall. p. 429. refert ad a. post Chr. 45.), *μετῶρομάσθησαν οἱ πάλα λεγόμενοι Νάζωραῖοι καὶ Ταλλαῖοι, Χριστιανοί*. Sed et *Iudaei* appellati antea, quod frustra negitant quidam. Aperte Arrianus 2, 9, 20: *ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰδώμεν λέγειν, ὅτι ἐστὶν Ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται· ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πῶτος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ἡθελῆσθαι, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος*. Ait τοῦ *βεβαμμένου*. Qui ergo tincti et baptizati praeter Christianos? (At aliter et quidem rectius Arriani interpres in Ed. Paris. 1840. explicat verba illa *disciplina tincti*. Cfr. Ern. ad Suet. Claud. 25.) «Suetonius Claud. 25: *Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit*.» Lips. De nomine *Christus* vide Lactant. D. Inst. 1, 4, 7. — *Pontium Pilatum*] Qui sextus procurator Iudaeae cum potestate praesidis fuit. Iosephus 18, 3. Lips. Pilatus missus a Tiberio anno imperii XIII. post exactos munus sui male gesti decem annos a Vitellio, Syriae praeside, Romam purgandi sui causa ire iussus, deinde a Caligula in exilium pulsus. Iosephus 18, 4, 2. Euseb.

H. Eccl. 2, 7: *οὐκ ἀγνοεῖν δὲ ἀξιῶν, ὅς καὶ αὐτὸν ἐξεῖνον τὸν ἐπὶ τοῦ σωτήρος Παύλου κατὰ Γάϊον - τσαυταῖς περιπέσειν κατέχει λόγος συμφοραῖς, ὡς ἐξ ἀνάγκης φρονετὴν ἑαυτοῦ καὶ τιμωρὸν αὐτόχρηρα γενέσθαι.* — *exitibilis superstitio*] Plin. Epp. 10, 97: *Nihil aliud inveni quam superstitionem pravam et immodicam*. Sic in Epistola Viennensium et Lugdunensium apud Euseb. H. E. 5, 1. extr. gentiles de Christianis: *ξένην τινὰ καὶ καιρὴν ἡμῶν εἰσάγονσι Σηθησκαίαν.* — *in crimine*] Sic Cic. de Inv. 2, 10: *ostendere, si quo in pari ante peccato convictus sit*. pro Sulla 30: *quoties quisquam est in hoc scelere convictus.* — *odio humani generis*] Incredibiliter haec interpretatus est Zyro, professor Bernensis: «propter odium, quo in eos cuncti ferantur, ut incendiarii condemnati sunt.» Immo eadem est mens Taciti, quam H. 5, 5. expressit de Iudaeis: *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium*. Indicia autem huius odii videbantur Romanis Christianorum abstinentia a spectaculis, a diebus festis, a sacrificiis et victimarum carnibus ac similia. — *flammandi*] flammis destinati. — *atque*] Mirum est Ernestium v. *atque* deletum voluisse, ante *vehementes* transpositum Doederleinius; horribilem quippe huius supplicii modum per epexegesin sequentia indicant, quasi dixeret: «non simpliciter in rogo usi sunt, sed induti tunica illa molesta (Martialis 10, 25. Iuven. 8, 235.) cera vel pice ob-

in usum nocturni luminis urerentur. hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. unde, quamquam adversus fontes et novissima exempla meritos, miserratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur. (45) interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae, sociique populi et quae civitatum liberae vocantur. inque eam praedam etiam di cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat. enimvero per Asiam atque Achaïam non dona tantum sed simulacra numinum abripiabantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate. ille libertus cuicumque flagitio promptus; hic Graeca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat. ferebatur Seneca, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, lon-

1. usu M. Correxerit Puteolanus. — 2. aurige M. — 3. circulo M. Ex Agr. correxit Ryckius. — 4. tanq. MB. — 5. sevit. M. — 6. euerse M. — 7. dii h. l. M. — 8. etas M. — 9. asyam M. — 11. saecundo M. — Carinate Puteolanus, Walther: caprinatae M, Caprinatae B. — cuicumque M.

lita, ludibrii causa quasi in usum nocturni luminis. Alii loci de huiusmodi supplicio sunt apud Senecam Ep. 14: *illam tunicam ignium et ilitam et intactam*. Schol. ad Iuven. 1, 155: *Virus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille iusserat cereos fieri, ut liberent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines papyro et cera supervestiebat et sic ad ignem admoveri iubebat, ut arderent*. De tota autem hac Christianorum persecutione cfr. Tertull. Apolog. 5: *Consulite commentarios vestros; illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse.* — in usum - luminis] apud luminibus. — hortos suos] in valle Vaticana. Cfr. 14, 14.

45. pecuniis] Quibus aurea domus Neronis construeretur. DUEBN. Suet. N. 38: *collationibus non receptis modo, verum et efflagitibus, provincias privatorumque census prope exhaustis*. Dio 62, 18: *Χρήματα δὲ ὁ Νέρων παμπληθῆ καὶ παρὰ τῶν ιδιωτῶν καὶ παρὰ τῶν δήμων, τὰ μὲν βίβλ' ἐπὶ τῇ προφάσει τοῦ ἐμπρησμοῦ, τὰ δὲ παρ' ἐκόντων δῶθεν ἡγυυρολόγησεν, καὶ τῶν Ρωμαίων αὐτῶν τὸ σιτηρέσιον παρεσπάσατο.* — liberae vocantur] ut Rhodus. His non plena libertas, iuris tamen exsequendi et proprii magistratus erant sua-

ginq̄i ruris secessum oravisse, et postquam non concedebatur, ficta valetudine, quasi aeger nervis, cubiculum non egressus. tradidere quidam venenum ei per libertum ipsius, cui nomen Cleonicus, paratum iussu Neronis, vitatumque a Seneca prodicione liberti seu propria formidine, dum persimplici victu et agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profuente aqua vitam tolerat.

(46) Per idem tempus gladiatores apud oppidum Praeneste tentata eruptione praesidio militis, qui custos adesset, coerciti sunt, iam Spartacum et vetera mala rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens pavidusque. nec multo post clades rei navalis accipitur, non bello (quippe haud alias tam immota pax): sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat, non exceptis maris casibus. ergo gubernatores, quamvis saeviente pelago, a Formis movere; et gravi Africo, dum

1. valetudine M: valetudine B. — 2. eger M. — egressu M. — 5. persimplici M (scil. persimplici cum lin. transversa in litt. p.): simplici cum Bud. B. — 7. temptata M. — 8. adesset M: aderat ex Agr. Corb. B. (adsidet Doederlein.) — 9. malarum moribus M. — 13. saevientes M. — formis M.

Carinate] Suspiscari possis rhetorem illum esse, quem Dio 59, 20. scribit a Cato in exsilium misum, quia contra tyrannos declamaverat, quemque Iuvenalis tangit 7, 204: *Sicut Thrasymachi probat exitus atque Secundi Carinatis*. Tinctum eum eloquentia litterarumque studiis Taciti verba indicant. Livs. Ceterum Carinate pro Med. Caprinata emendatum ex Iuven. et Dion. II. II. — ore tenuis] hoc est, ut posset de philosophia, virtutibus vitiisque Graecorum more disserere, proorsus ut 16, 32. P. Egnatius ille, qui auctoritatem Stoicae sectae praeserebat, habitu et ore ad exprimentam imaginem honesti exercitatus, ceterum animo perfidus. ERN. — induerat] v. induere ad hunc modum dictum ex Gr. ἐνδύσασθαι copiose illustrat Gataker Advrs. 1, 9. ERN. Claudian. in sec. cons. Stil. 121: *his moribus induit annos*. Ob. — persimplici victu] Ipse de se Epist. 83: *Panis deinde (post balneum) siccus et sine mensa prandium, post quod non sunt lavandae manus. Dormio minimo somno utor et quasi interituro*. Ep. 108: *Inde in omnem vitam unguento abstinemus, quoniam optimus odor in corpore est nullus. Inde vino carens stomachus. Inde in omnem vitam balneum fumus*. (Supra Ep. 83. sumebat tamen balneum!)

46. apud - Praeneste] Ibi scilicet habebat

tur sub militari praesidio gladiatorum caetera procul dubio satis numerosa, ne quis novarum rerum cupidus ea facile ad turbas in urbe excitandas abuti posset: in urbem autem arcessebantur, quando edendi erant ludi gladiatorii. — adesset] Haec Med. scriptura oriri haud poterat ex illa interpolatorum aderat. Ergo sequimur Duebnerum haec adnotantem: «Subiunctivus, quia illa militum praesentia causa est coërcitae eruptionis.» Accipe igitur pro *quippe qui, utpote qui*. Etiam Doederleinii ingeniosa coniectura *adsidet*, tamenetsi per se recta (cfr. 13, 24. et 25.) ac significans, semper illi gladiatorio ludo Praenestino assidere praesidium militum, etiam Taciti tempore, tamen adeo probabilis non est, ut unquam recipi queat. — iam - - - rumoribus ferente populum] Admodum cito hoc fieri poterat propter tam exiguum inter Romam et Praeneste distantiam. — non exceptis] in iussu suo; etiam turbido mari navigare iubens. DUEBN. — pelago] Vocabulum Graecum a scriptoribus argenteae, quam dicunt, fere aetatis receptum, quo immensum maris aequor exprimitur. Cfr. Doederlein Syn. III. p. 73. BACH. Restringe hoc ad solutae orationis scriptores: nam apud poëtas inde a Lucretio (*pelagique severa*) est frequentissimum, imprimis apud Ovidium. — Formis] oppido Latii, in Terra di Lavoro; pro eo habetur, quod hodie Molo di Gaeta. — Africo] Est Africo,